

mysteriis Christi, infra, q. 48, art. 6, et q. 50, art. 6, et q. 51, art. 1, ad 2, q. 52, art. 1, ad 2, q. 56, art. 1, q. 57, art. 6, quibus locis ait, passionem Christi, resurrectionem, etc., efficienter causare nostram justificationem, resurrectionem, etc. Et ad eundem modum loquitur Alex. Alens., 3 p., q. 20, mem. 2, art. 2, et 6, q. 23, mem. 7, art. 2. Et confirmari potest, primo, quia resurrectioni Christi in Scriptura tribuitur, quod sit causa nostræ justificationis, ad Roman., c. 4: *Resurrexit propter justificationem nostram*. Et quod sit causa nostræ resurrectionis, ad Ephes. 2: *Conresuscitavit nos, et consedere fecit*, ubi simile quid indicatur de ascensione; et de sepultura idem significatur ad Rom. 6: *Consepulti sumus*, etc. Sed resurrectio, ascensio et sepultura non sunt causæ meritoria nostræ justitiæ aut resurrectionis, ut infra dicetur; ergo solum potest hoc pertinere ad causalitatem efficientem. Et confirmatur, nam humanitas per unionem ad Verbum sortita est vim efficiendi hæc divina opera. Ergo communicavit suis actionibus et passionibus hanc virtutem propter eandem unionem, quod significavit Ambros. super Psal. 36, tractans illum locum Joan. 1: *Quod factum est, in ipso vita erat; ubi sic inquit: Caro facta est, in ipso vita est; mors facta est, in ipso vita est; resurrectio facta est, in ipso vita est*. Et sic de aliis. Et tandem concludit: *Vide quanta in ipso facta sunt, quibus vitæ nostræ conversio facta est, ut quæ perierat redderetur*. Quomodo autem intelligenda sit hæc efficientia, nonnulli ex Thomistis dicunt esse mysterium reconditæ Theologiæ, unde in eo explicando varii sunt, nec inter se consentiunt. Ego vero nullum fere mysterium in hac difficultate invenio, sed clare et simpliciter existimo explicari debere, nulla fingendo mysteria quæ nec fundari, nec intelligi possunt, si tamen ea, quæ impossibilia sunt, mysteria appellare licet.

6. *Christus per actiones et passiones suas quomodo operetur*. — Dico ergo Christum Dominum per quamcunque actionem vel passionem suam eo tempore quo illam patiebatur, seu quo actio illa existebat, potuisse, vel gratiam, vel alios effectus supernaturales efficere; sicut enim per contactum carnis suæ, cum actu fiebat, vel per vocem aliquam, quando illam emittebat, faciebat miracula, ita per quamvis aliam actionem vel passionem suam, suo tempore existentem, poterat idem efficere, quia non est major ratio de una quam de alia. At vero actio vel passio

quæ præterit, ut revera fuit mutatio quædam, vel quoddam fieri quod pertransiit, non potest nunc esse instrumentum vel actio physica vere ac proprie efficiens supernaturalem effectum, qui nunc fit. Quam sententiam bene docuit Vega, lib. 7 in Triden., c. 18, cum D. Bonav., in 3, dist. 19, art. 1, q. 1; et (ut existimo) est sententia Cajetani, quem statim referam. Et probatur aperte ex supra dictis, quia res, quæ non existit, non potest esse instrumentum physicum ad aliquid efficiendum, ut satis probatum est.

7. *Objectio*. — *Nihil confert ad agendum, quod res extiterit*. — Respondent aliqui, hoc verum esse de re quæ nunquam extitit, secus vero esse de re quæ jam semel fuit, quæ cum jam habuerit entitatem, per illam potest esse instrumentum. Et addunt alii, rem quæ esse desiit, per proprietatem suæ naturæ non posse aliquid efficere, tamen per virtutem occultam quæ in illa mansit, ex merito et valore quem habuit propter dignitatem personæ, posse vere efficere. Alii vero addunt, quando agens principale adhuc existit, non necessario requiri ut instrumentum etiam actu existat, sicut supra dicebamus, Deum ubique existentem posse uti instrumento ad agendum, ubi ipsum instrumentum non existit. Sed hæc neque rem explicant, neque aliquid probabilitatis afferunt; nam primum, quid refert ad efficientiam quod res fuerit, si jam non est, neque aliquid vice sui reliquit, per quod dici possit efficere? Si hoc enim reliquisset, jam non esset instrumentum id quod præterit, ut sic, sed id quod perseverat, in quo aliud quodammodo seu virtute manet; si autem res, quæ fuit, omnino jam non est, non magis est apta ad agendum quam si nunquam fuisset, quia nihil prorsus entitatis habet, unde nec est capax virtutis vel potentiæ ad agendum; nam, illam rem fuisse, solum est relatio rationis, quæ nihil ad efficientiam realem potest deservire, sicut etiam rem esse futuram, est relatio rationis, quæ non satis est ut res futura agat antequam existat. Quod vero additur de virtute occulta, quæ mansit ex tali actione vel passione propter meritum ejus, nihil ad rem explicandam confert, quia illa virtus vel est aliqua res quæ vere et realiter manet in humanitate, et hoc non est contra id quod intendimus; quia jam non est instrumentum quod pertransiit, ut sic, sed quod manet, sive talis res manens vere aut falso confingatur, quod nihil refert ad præsentem difficultatem.

Vel illa virtus occulta nihil in re ipsa est præter actum qui præterit, qui ratione sui meriti et valoris potest dici semper manere in acceptatione divina, et ut sic habere virtutem ad causandam gratiam; et hoc sensu recte quidem intelligitur quomodo actus præteritus in genere meriti possit habere rationem causæ, non tamen in ratione proprii principii efficientis; quia (ut dictum est) ad efficiendum physice requiritur existentia seu realis entitas rei, et non satis est esse in acceptatione vel in apprehensione. Quod denique additur, sufficere ut principale agens existat, omnino falsum est, quia etiam instrumentum (si tamen verum et physicum instrumentum est) vere et realiter agit, et effectus ab illo pendet, media actione reali, et ideo non solum in principali agente, sed etiam in instrumento requiritur actuale esse; et hoc probant rationes factæ in primo puncto hujus sectionis, scilicet, quia alias, etiam res, quæ neque habet, neque unquam habuit esse, esse posset instrumentum physicum, quia satis esset quod principale agens actu existat, et consequenter posset esse instrumentum ad productionem sui, aut certe ad reproductionem, si res, quæ aliquando fuit, esset in nihilum redacta, quod non minus absurdum est. Quocirca non est eadem ratio de præsentia locali, et de actuali existentia, quia existentia vel est ipsa actualis et realis entitas rei, vel certe sine illa esse non potest; effectus autem pendet intrinsece et essentialiter a sua causa, prout habet entitatem realem per quam agit; et ideo, si tollitur existentia, omnino tollitur virtus seu ratio agendi; at vero præsentia localis est accidentaria conditio rei superaddita, a qua non pendet essentialiter virtus seu ratio agendi, et ideo non est similis ratio.

8. *D. Thomæ sententia*. — *Mors et resurrectio Christi quomodo sint instrumenta justificationis et resurrectionis nostræ*. — Nec existimo D. Thomam voluisse docere contrarium aliquid huic sententiæ, prout explicata est; cum enim ait Christum per passionem vel resurrectionem suam efficere in nobis justitiam, vel resurrectionem, etc., non loquitur (ut existimo) de passione et resurrectione ut fuit quidam motus, vel actio quæ pertransiit, sed ut aliquo modo intelliguntur hæc manere in ipsa humanitate, in qua passio et resurrectio facta est. Et secundum quamdam accommodationem humanitas, prout passioni vel morti subjecta fuit, dicitur esse instrumentum ad liberandum nos a morte peccati; ut

vero resurrexit, dicitur accommodatum principium nostræ resurrectionis, et sic de aliis. Et hunc sensum indicavit satis D. Thomas, q. 56, art. 1, ad 3, ubi dicit resurrectionem Christi esse efficientem causam, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis, et operatur in virtute ejus, *ut supra*, inquit, *dictum est*, citans locum hujus quæstionis in qua versamur, ubi Cajetanus ad hunc modum hanc D. Thomæ sententiam intellexit. Et eundem sensum indicavit idem D. Thom., q. 50, art. 9, et quamvis Vega, supra, hunc etiam D. Thomæ sensum impugnet, non est tamen quod in ejus impugnationibus immoremur, quia (ut dixi) non tam in rigore metaphysico, quam secundum quamdam accommodationem et proportionem intelligendus est.

9. Nec ex locis Scripturæ quæ in confirmationem primæ sententiæ citantur, aliquid aliud colligi potest; est enim resurrectio Christi causa nostræ resurrectionis, et in genere causæ exemplaris, et ratione sui termini; quia Christus resuscitatus, est causa efficiens nostram resurrectionem, et quia resurrectio nostra ita pendet a resurrectione illius, quod, si ille non resurgeret, nec nos resurgeremus. Et idem est de ascensione, et similibus, ut latius in sequentibus, agentes de his mysteriis, explicabimus. Et idem est sensus Ambrosii in citato loco; verissimum enim est omnes Christi actiones et passiones esse nobis salutare, et propter nostrum bonum aliquo modo factas esse; non est tamen necessarium nec verisimile (etiamsi id non repugnet) omnes illas per se ac proprie effective concurrere ad productionem omnis gratiæ quæ in nobis fit; esset enim hoc superfluum et impertinens, tam ad dignitatem Christi quam ad nostram utilitatem. Unde ad ultimam confirmationem respondetur, quod, sicut humanitas Christi, ratione unionis, habet ut sit instrumentum divinitatis ad miracula facienda, ita actiones humanitatis sunt veluti media per quæ humanitas hanc virtutem exercet; tamen, quia usus hujus potestatis seu gratiæ non est necessarius, sed voluntarius, non oportet ut per omnem actionem suæ humanitatis Christus hanc virtutem exerceat, sed prout ipse voluerit. Et sicut illa humanitas non habuit hanc gratiam antequam existeret, nec retineret illam, si esse desineret, et amitteret simul cum existentia actualem unionem ad Verbum; ita, quando

juxta hanc gratiam operatur, utitur aliqua actione sua actu existente, et sibi unita, non vero actione, vel futura et nondum existente, vel præterita, quæ jam neque est sibi unita, neque existens, quia illa non est capax talis efficientiæ, ut dictum est.

10. Statim vero occurrebat hic difficultas, quomodo Christus interdum efficiebat miracula per verba quæ prius finiuntur quam operentur. Sed hæc difficultas proprie pertinet ad formas sacramentorum, et ideo usque ad quæstionem 62 differenda est.

SECTIO IX.

Utrum Christi humanitas efficere possit miracula absque prævia actione, et consequenter an poterit esse instrumentum creationis aut annihilationis.

1. Hæc est ultima difficultas hujus materiæ, quæ plures involvit inter se connexas. Ratio autem dubitandi in illa est, quia (ut supra dicebamus ex doctrina D. Thomæ, 1 p., q. 45, art. 5, et 2 lib. cont. Gent., c. 24, rat. 6) instrumentum non potest elevari ad efficiendum effectum principalis agentis, nisi per aliquam actionem præviam sibi proportionatam; sed Christi humanitas non poterat habere actionem præviam ad effectum miraculorum, nam, licet posset aut verbum proferre, aut tangere mortuum, aut aliam similem propriam actionem exercere, tamen hæc non possunt dici actiones præviæ ad effectum principalis agentis, quia ad illum nihil conferunt vel disponunt; atque adeo perinde se habent ad talem effectum, ac si non fierent; si enim tactus vel vox Christi per se, et natura sua nihil confert ad suscitandum, verbi gratia, mortuum, quid attinet ad talem effectum efficiendum? In instrumentis enim artis vel naturæ quæ nos experimur, et ex quibus colligimus necessariam esse actionem præviam, talis actio de se aliquid confert ad effectum principalis agentis, saltem disponendo, et ideo tale instrumentum habet proportionem cum tali effectu et tali agente, et non cum alio; ergo, si actio propria instrumenti nihil confert ad effectum principalis agentis, illa non est sufficiens ad actionem instrumenti; alias, si illa sufficeret, certe non esset necessaria; cur enim dicemus eam actionem, quæ nihil ad effectum confert, necessariam esse ad illum? Et confirmatur, nam actio prævia instrumenti semper versatur circa subjectum in quod operaturum est agens principale, ut,

verbi gratia, calor ignis circa lignum est, quo ignis producendus est, et sic de aliis; at vero sæpe actio Christi, per quam faciebat miraculum, non versabatur circa subjectum susceptivum effectus miraculosi, sed vel circa medium, ut vox, vel interdum manere poterat in ipsa anima Christi, ut si per actum voluntatis faceret miraculum.

2. Hæc difficultas præsertim vigere videtur in doctrina D. Thomæ, qui etiam in divinis instrumentis, quæ tantum per obedientialem potentiam ad agendum assumuntur, existimavit necessarium ut per propriam actionem præviam eleventur ad efficiendum proprium effectum principalis agentis; et ita omnes discipuli ejus conantur defendere hanc actionem præviam fuisse etiam necessariam in miraculis quæ Christus Dominus per humanitatem suam operatus est; fatentur tamen non esse necessarium hanc actionem versari aut recipi in subjecto in quo fit miraculosus effectus, hoc enim convincit argumentum factum; fatentur etiam hanc actionem non esse propriam dispositionem, neque natura sua aliquid conferre ad effectum principalis agentis; nihilominus tamen aiunt esse necessariam, fortasse ne instrumentum nihil omnino agere videatur, si ex se nihil confert; et quidam eorum dicunt esse necessariam talem actionem, ut per eam intimetur divinum imperium. Sed hæc (ut verum fatear) mihi non satisfaciunt; non enim intelligo cur, sicut humanitas Christi, manu contingendo mortuum, potuit illum resuscitare, non etiam id posset facere sine tali contactu. Præsertim cum supra ostensum sit localem propinquitatem non esse necessariam in hujusmodi instrumento. Deinde, quamvis in manu, verbi gratia, Christi, non intelligatur esse actio prævia, potest recte intelligi quod ipse effectus procedat et pendeat ab ipsa carne Christi; nam quando efficiebat talem effectum, tangendo, effectus revera immediate procedebat ab ipsa carne, et tactus solum erat conditio quasi voluntarie adhibita, non tamen simpliciter necessaria, unde interdum faciebat miraculum sine tali contactu; ergo præcise propter efficientiam non erat necessaria illa actio prævia. Tandem illud, quod dicitur de intimatione imperii, jam rejectum est; nam, si solum dicit conditionem, ad cujus præsentiam Deus operatur, hæc nihil refert ad rationem veri instrumenti, et præterea, sicut ad præsentiam actionis creaturæ, ponitur divinum imperium, ita ad præsentiam ipsius sub-

stantiæ, vel carnis creatæ sine alia actione ejus, posset poni divinum imperium. Si vero illa intimatione divini imperii sit vera effectio, et executio ipsius supernaturalis effectus, petitur principium; nam quod inquirimus, est cur ad hoc sit omnino necessaria actio, quæ alias nihil de se confert ad effectum.

3. *Primum genus instrumentorum naturalium et artificialium. — Terminus actionis instrumenti artificialis est motus localis, et terminus ejus.* — Ut ergo axioma illud, et tota hæc materia radicitus intelligatur, incipiendum est ab instrumentis naturæ artis, quæ omnia ad tria genera revocari possunt. Primum genus instrumentorum est, quæ per actionem sibi connaturalem efficiunt aliquem effectum, qui est dispositio, seu via quædam ad effectum principalis agentis; ad quem tamen in se ipsum non attingit instrumentum per novam actionem, sed vel naturaliter resultat, posita priori actione, vel sola virtute et actione nova principalis agentis efficitur. Exemplum dari potest in naturalibus instrumentis, juxta multorum probabilem opinionem, in calore ignis, vel viventis, quo dispositio efficitur in materia ad introductionem formæ ignis, vel carnis, ipsa vero forma substantialis proxime et in se non attingitur seu introducitur per calorem. Juxta hanc enim sententiam, calor solum dicitur instrumentum, quia illo utitur principale agens, ut suum tandem effectum perficiat, quamvis proxime et immediate non attingat calor illam actionem quæ principale agens introducit ultimam et principalem formam in effectu intentam. Aliud, et magis indubitatum exemplum horum instrumentorum est in artificialibus, nam tota actio instrumentorum artis per se terminatur in motu locali et termino ejus, ex quo resultat forma artis sine nova actione instrumenti. Quod facile intelligitur discurrendo per singula; quædam enim ex his instrumentis deserviunt ad expellendum aliud corpus a loco suo, ut in serra videre licet; dum enim ipsa introducitur inter partes ligni quod per eam secatur, et occupat locum illum medium, ab eo expellit partes ligni quæ illum replebant; expellit autem non tantum in genere causæ formalis, ut putavit Scotus, sed etiam in genere causæ efficientis et impellentis, quia per illam actionem non solum fit ut corpus expulsus careat suo loco, sed etiam ut ad alium locum impellatur, quod non fit sine motione efficiente.

4. Alia sunt instrumenta artis, quæ solum

deserviunt ad deferendum corpus, et quasi in varia loca distribuendum, ut calamus, vel penicillus; alia denique per contactum, vel collisionem corporum, motum efficiunt, ut patet in lyra vel cymbalo, et idem est de cæteris. Constat ergo inductione facta actionem horum instrumentorum totam consistere in motu locali et termino ejus, et inde resultare effectum intentum sine nova actione instrumenti; ut figura, ex tali situ partium corporis, vel sonus, ex tali naturali qualitate corporum se tangendum, et sic de reliquis. Et ratio generalis reddi potest, quia hæc instrumenta solum operantur quatenus substant motioni humanæ virtutis; homo autem in corporibus solum potest efficere motum localem, vel imprimere impetum qui sit principium ejus, et ideo solum ad hunc effectum potest immediate movere hæc instrumenta, ut inde forma aliqua artificialis (seu figura resultet. Quocirca de hoc toto genere instrumentorum vere dicitur, non assumi ad efficiendum effectum a principali agente intentum, nisi per propriam actionem præviam; quin potius verum etiam est, talia instrumenta nullam aliam habere actionem circa hujusmodi effectum, nisi hanc propriam, respectu cujus non tam sunt instrumenta quam principales virtutes, sicut est calor ad calefaciendum, et serra ad scindendum seu expellendum aliud corpus a suo loco. In ordine vero ad effectum principalis agentis, dicuntur hæc instrumenta per quamdam habitudinem et subordinationem ad principale agens, quæ non addit novam efficientiam, sed relationem quamdam vel extrinsecam denominationem. Divina autem instrumenta non possunt in hoc genere collocari, quia nullam dispositionem attingunt ex qua resultat effectus principalis agentis ex vi talis dispositionis, ut per se manifestum est, et constat satis ex ratione dubitandi in principio hujus sectionis posita; quia, si talis dispositio naturalis est, non potest ex ea necessario resultare effectus supernaturalis, ex natura rei loquendo; si autem dispositio ipsa supernaturalis est, non potest fieri ab instrumento ex propria naturali virtute et efficacia. Ex hoc ergo capite in his instrumentis actio prævia nec requiritur, nec intelligi potest.

5. *Secundum genus instrumentorum.* — Secundum genus instrumentorum est, quæ per realem actionem immediate attingunt ultimum effectum principalis agentis sine alio influxu, vel concursu proprio ipsius agentis

principalis, sed solum per actionem propriam ipsius instrumenti, quod, vel a principali agente sustentatur, vel quasi substituitur ut vice illius agat. Exempla sunt in calore ignis, vel semine viventis, ut jam explicabo; in hoc enim genere adhuc possunt hæc instrumenta distingui, ut quædam sint, quæ attingunt effectum se nobiliorem, ut multi opinantur de calore ignis, quia substantialis forma ignis generantis alium ignem, per se et immediate non influit in actionem, per quam producitur forma substantialis ignis geniti, sed solum per calorem, ita ut calor per se, solus, et separatus, possit totam illam actionem efficere. Cujus simile exemplum et clarius est in semine, quod est instrumentum ad generandum animal, cum tamen sit minus perfectum, et, cum operatur, nullum habeat influxum, nec concursum agentis principalis, sed tota actio sit a virtute quam primum agens reliquit seu impressit in ipso semine. Hujusmodi autem modus naturalium instrumentorum valde dubius est; si tamen est verus (hoc enim nunc examinandum non est, cum ad præsentem quæstionem non referat), illo, inquam, supposito, verissimum est talia instrumenta non attingere effectum agentis principalis, nisi præmittendo actionem præviam; assumuntur enim ad actionem agentis principalis propter naturalem connexionem, quæ est inter illam et propriam actionem præviam, quæ ratio in divinis instrumentis locum non habet.

6. Alia vero sunt in hoc genere instrumenta, quæ sua quidem actione immediate attingunt effectum principalis agentis, quia ille effectus non excedit naturalem virtutem et perfectionem talium instrumentorum, quomodo dicitur a multis calor esse instrumentum ignis ad calefaciendum, et gravitas lapidis dicitur instrumentum quo movetur a generante, ac denique impetus impressus lapidi projecto dicitur instrumentum projicientis ad efficiendum illum motum. In quibus, et similibus exemplis, satis constat illas qualitates, quæ dicuntur instrumenta, habere sufficientem vim et perfectionem ad efficiendos illos effectus, quos revera efficiunt, propria virtute, sine novo influxu aut concursu alterius agentis. Quapropter hæc non sunt propria instrumenta, sed virtutes vel potentia; vocantur autem interdum instrumenta, vel quia suppleant locum principalis suppositi operantis, vel certe solum generali quadam ratione, quatenus omnia accidentia dici possunt

instrumenta per quæ substantia operatur. Et ideo etiam in efficientia horum instrumentorum nulla est proprie actio prævia, quamvis habeant actionem propriam et connaturalem, quia hæc non subordinatur alteri actioni, sed est unica, per quam totus effectus fit. Ex quo etiam certum est, hunc modum operandi non posse convenire divinis instrumentis; cum enim eleventur ad operandum supra naturam suam, non habent in se propriam et sufficientem virtutem ad talem effectum, nec possunt circa illum aliquid efficere sine proprio et singulari influxu principalis agentis.

7. *Tertium genus instrumentorum.* — *Species intelligibilis quomodo sit instrumentum ad intelligendum.* — Tertium genus instrumentorum est, quæ immediate attingunt actione sua proprium effectum principalis agentis, non tamen sine proprio influxu ipsius principalis agentis, per suam propriam formam et virtutem concurrentis, ita ut unica et eadem actione effectus simul fiat ab instrumento et principali forma. Exemplum in naturalibus accommodatum (si tamen est verum) esse potest in phantasmate, quod esse dicitur instrumentum intellectus agentis ad producendam speciem intelligibilem, quæ tamen non a solo phantasmate fit, sed simul cum illo influit intellectus agens, ut virtus principalis. Aliud esse potest de intellectu operante per speciem intelligibilem influentem in actum intelligendi simul cum potentia, nam species quodammodo est instrumentum potentia; quæ per ipsam operatur et illi præbet veluti influxum et concursum vitalem. Et de hujusmodi instrumentorum genere facile intelligitur, quomodo etiam in ordine naturali possint attingere effectum se perfectiorem, quia, videlicet, non solum instrumentum immediate efficit, sed simul influit causa seu virtus principalis, et ex utroque veluti conflatur unum integrum agens perfectius effectum, unde hujusmodi instrumentum quodammodo simile est causæ partiali; tamen, quia imperfectius est, et subordinatum principali virtuti, ideo instrumentum appellatur. Unde etiam fit, in hoc genere instrumenti non oportere intercedere actionem præviam propriam ipsius instrumenti, distinctam ab actione principalis agentis, quia unus et idem effectus per eandem indivisibilem actionem est simul ab instrumento, et a virtute principali, ut clare videri potest in exemplis supra positis.

8. *Divina instrumenta qualia.* — Solet tamen in hujusmodi effectum vel actione distingui

duplex ratio, ut secundum alteram intelligatur actio esse accommodata instrumento, secundum alteram vero principali virtuti; ut in exemplo posito, actus intelligendi, ut est actus vitæ, dicitur esse ab intellectu, ut vero est representatio talis objecti, dicitur esse ab specie. Sed (ut supra dixi, agens de lumine scientiæ infusæ) hoc solum secundum quamdam accommodationem intelligi potest, ad assignandas rationes sub quibus effectus procedit a diversis principiis, seu rationes propter quas talia principia necessaria sunt. Nam, loquendo de effectu prout in re ipsa fit, nihil in ipso est quod non ab utroque principio procedat, quia in re ipsa est unus et indivisibilis effectus, ut in exemplo dato facile patet, et in superioribus declaratum est. Divina igitur instrumenta maxime similia sunt his quæ in hoc tertio genere collocantur; immediate enim attingunt ipsam effectum principalis agentis, ut verbi gratia, suscitationem mortui, productionem gratiæ, etc. Attingunt autem hos effectus, non ex vi naturalis suæ virtutis et perfectionis, quæ inferior est, et natura sua non postulat talem agendi modum, neque ad illum habet concursum debitum, sed indiget concursu et influxu principalis agentis, qui specialiori et superiori quodam modo exhiberi debet, et ideo merito hæc instrumenta in hoc tertio ordine collocantur.

9. *In divinis instrumentis non est necessaria actio prævia ad effectum principalis agentis.* — Ex quo discursu tandem concluditur, in his instrumentis non esse per se et intrinsece necessariam actionem præviam propriam et connaturalem ipsi instrumento, ut possit attingere effectum principalis agentis: primo quidem, quia hoc non est de ratione instrumenti ut sic; constat enim ex discursu facto, etiam in naturalibus instrumentis non semper hoc esse necessarium, et præsertim in iis quæ ad ultimum ordinem pertinent, quibus divina instrumenta similia sunt. Deinde, quia, licet hoc esset necessarium in naturalibus instrumentis, quæ naturali virtute et juxta naturalem ordinem operantur, non propterea esset eadem necessitas in instrumentis divinis, quæ solum secundum potentiam obedientialem assumuntur, non quia ex natura rei necessaria sint ad effectum, sed quia Deus illis uti vult. Cujus signum est, quod hujusmodi instrumenta non sunt determinata ad determinatos effectus, sed simpliciter uti potest Deus, ut instrumento, quacumque crea-

tura ad quoscumque effectus non implicantes contradictionem. Adde nihilominus, Christum semper operatum esse miracula per aliquam propriam actionem humanitatis, vel ut concursus ipsius humanitatis notior esset, ut supra ex Cyrillo dicebamus, vel ut humanitas perfecto modo, scilicet, humano et libero, posset ad hæc miracula facienda applicari, quod fieri oportebat per actionem voluntatis humanæ vel imperatam, vel elicitam. Illa vero actio humanitatis, per quam faciebat miraculum, non proprie erat actio prævia ad actionem principalis agentis, sed interdum erat veluti applicatio ipsius instrumenti ad passum; ut quando per contactum carnis suæ vivificatricis sanabat ægrotum, vel suscitabat mortuum; nam effectus ille revera immediate erat ab ipsa carne, contactus autem solum erat ut applicatio et conditio, non quidem necessaria, sed voluntaria, et ad melius esse. Interdum vero ipsemet actus humanitatis erat proximum instrumentum quo fiebat miraculum, ut, verbi gratia, si per actum voluntatis, vel per verbum, aliquod faciebat miraculum, ipsamet vox non tam erat actio prævia, quam proximum instrumentum a quo actio miraculosa dependebat, sicut inferius in simili dicemus latius, agentes de sacramentis.

10. *In miraculis Christi una et eadem actio, divinitatis, ut principalis agentis, et humanitatis, ut instrumenti.* — Ex quo tandem fit, in hujusmodi operatione miraculosa humanitatis, unam et eandem fuisse actionem, quia immediate fiebat effectus ab humanitate ut ab instrumento, et a divinitate ut principali virtute, ante quam actionem non est necessarium intelligere aliam propriam ipsius instrumenti. Quod si velimus proportionem in omnibus servare cum instrumentis naturalibus, quanquam id necessarium non sit, cum hæc instrumenta non habeant naturalem proportionem, et connexionem cum effectu, sicut illa, fieri tamen aliquo modo potest distinguendo in hac actione, et effectu duplicem rationem; quatenus enim effectus ille est, verbi gratia, participatio quædam divinæ naturæ, scilicet, gratia, vel aliquid hujusmodi, est a Deo; quatenus vero est res quædam finita, quæ ab alia finita pendere potest, sic intelligitur esse ab instrumento creato. Et ex his facile expeditur difficultas in principio hujus sectionis tacta, cui magis ex dicendis satisfiet.

11. *Objectio.* — *Responsio.* — *Creatura potest esse instrumentum creationis.* — Ex dictis